

si euangelium pronunciarum coepit, omnes, etiam episcopi, & clerici confurgerent, omnes capita nudarent, baculos & arma deponerent, cereos & luminaria accenderent, teste AMALARIO FORTVNATO, & aliis. Lectiones pericoparum non minus antiquitate sua se tuentur, quippe quae iam tum, regnante Carolo M. receptae erant, teste SIGEBERTO GEMBLATGENSI ad an. 807.

§. III. Plus itaque auctoritatis, quam ipse Seruator, sibi hodie vindicant, qui vel, cum DEMOCRITO, in Uupartheisch. Gedanck. p. 127. in templa, conuitorum plaustra eructant; vel, cum SPENCERO, Anglo, cum quo STRYCKIUS Jun. in Disput. de Jure Sabb. c. 4. n. 63. p. III. facit, natales eorum ad gentiles referunt; vel cum LYSIO in Synops. p. 691. seqq. pericopas euangelicas abolere malunt; vel cum ARNOLDO, in Haeresiol. L. XVI, c. 2. n. 16. 17. seqq. templa lapidea, & manufacta vitanda, vel saltim non multum curanda, iudicant; vel, cum Obseruatoribus Hal. Germ. P. I. Obseru. XII. §. 21. p. 262. seqq. quemlibet sibi confiteri posse peccata, seipsum absolueri posse, ita, vt, nihil opus sit confessionario, existimant; aut etiam cum SCHADIO, in Bericht: Stuhl. cuius causam perorat D. LANGIUS, confessionem priuatam, in ecclesiis nostris receptam, improbant, & sellam confessionariam sub titulo Satans: Stuhl Feuer: Pfuhl traducunt, nihilque ipsi fere usus relinquunt.

VIII. *Cathedrae, quae verorum confessorum nominibus inclaruere, a veris illorum fidei sociis conuicio non afficiuntur.*

§. I. **R**eliquit omnibus, hac in parte imitandum, exemplum Saluator, qui, vt ut optime norat, Phariseos nullam, ex qua aliquando Moses docuisset, habuisse cathedram, hanc tamen laudem eis reliquit, & reuerenter de cathedra Moſis locutus est, etiamsi indigni fuerunt ea gloria, qui